



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Usu & Abusu Doctrinæ Divi Thomæ Pro Xaveriana  
Academia Collegii Sanctaefidensis in Novo Regno  
Granatensi, &c**

**Martinez de Ripalda, Juan**

**Leodii, 1704**

Lectio I. Relatis Doctorum placitis, duplici Conolusione dirimitur difficultas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84322)

QUÆSTIO V.

An in Deo sit admittenda Subsistentia absoluta, & relativa?



Hæc controversia in hoc tractatu ab Scholasticis utrinque acriter agitur; quamvis si Doctorum dicta, & diversum loquendi modum expendamus, vix in eâ appareat, quod Quæstionem de nomine transiliat. Quapropter ne de solâ voce contendamus, cura nobis erit, discussis prius vocibus, rem postea disputare.

LECTIO I.

Relatis Doctorum placitis, duplici Conclusionem dirimitur difficultas.

Duplex Doctorum placitum refero.

295. O ccurrit circa dubium duplex sententia omninò opposita. Prima negat, dari in Deo Subsistentiam aliquam absolutam tribus Personis communem, & propriam divinæ naturæ; consequenterque docet, divinam naturam subsistere in divinis Personis per proprias solum earum Subsistentias relativas. Ita Acutissimus Pater Vasquez, Arrubal, Meratius, & alii Recentiores tum ex nostris, tum ex Thomistis, Secunda sententia admittit, hujusmodi Subsistentiam absolutam in Deo secundum se considerato, & ut præintelligitur Personis. Huic sententiæ subscribunt eximius Doctor Suarez, Molina, Granados, & alii; ex Thomistis verò cum Cajetano eisdem placito suffragantur omninò plures. Ut ergo litem, quæ multum habet de nomine, expediam,

Dupliciter accipi potest nomen Subsistentia

296. Nota primò Quæstionem posse procedere de ipso nomine propter diversam acceptionem, & intelligentiam hujus nominis Subsistentia. Aliqui ita strictè sumunt hoc nomen, ut in naturâ rationali confundant cum personalitate; in quo sensu videntur accipere Subsistentiam Authores primæ sententiæ, ut colligitur ab inconvenientibus, quæ inferant, si admittatur hujusmodi Subsistentia in Deo. Unde si huic acceptioni esset standum, non dubiro, non esse in Deo eam Subsistentiam. Alii verò nomen Subsistentiæ in utroque

sensu accipiunt, scilicet & proincommunicabilitate alteri ut supposito; & sic admittunt Subsistentias relativas; & pro per seitate, excludendo dependentiam ab alio in existendo: Cum autem talis per seitas necessariò competat divinæ naturæ, admittunt Subsistentiam absolutam in Deo præter Subsistentias relativas. Quæ etiam acceptione suppositâ, nulla videtur occurrere difficultas. Quare ex diverso modo accipiendi nomen Subsistentia, tota ferè Quæstio devolvitur ad disputationem de nomine. Ut autem in hoc puncto aperiatur, quo pacto sit loquendum, & aliquid de re excutiamus;

297. Nota secundò ex dictis in Metaphysicâ, rationem essendi, sive existendi communem esse tam substantiæ, quam accidenti; differre tamen in modo existendi; quia accidens existere per se in hærentiam, seu in alio; substantia verò per se existere per Subsistentiam, sive per se; unde sicut inherere ultrâ hoc, quod est existere, addit esse in alio; sic hoc, quod est Subsistere ultrâ existere addit modum essendi; nimirum Subsistere; quod idem est, ac existere per se, seu non in alio. Constat hæc doctrina ex Divo Thomâ hic quæst. 29. artic. 2. ubi ait: Ex eo, quod res aliqua per se existit, & non in alio, vocari Subsistentiam; illa enim Subsistere dicimus, quæ non in alio; sed in se existunt. His notatis.

298. Sit prima Conclusio. Subsistentia sumitur in Deo absolutè, ac proinde datur in Deo Subsistentia absoluta. Ita Doctores secundæ sententiæ, viderique expressa Sanctorum Augustini, & Thomæ. Probatur primò ex Magno Augustino 7. de Trinitate, cap. 4. sic loquente: Omnis res (scilicet substantia) ad se ipsam Subsistit; quanto magis Deus? Idem sentiunt alii Sancti Patres. Sed quod est ad se, absolutum dicitur; relativum enim est ad aliud. Ergo si ex Divo Augustino Deus ad se Subsistit, Subsistentia in Deo absoluta dicitur.

299. Probatur secundò ex Doctore Angelico in primò distinctione 21. quæst. 2. artic. 1. ubi sic ait: Natura divina est in se, habens esse Subsistens, nullâ intellectâ personarum distinctione. Ex quibus sic arguo. Quidquid intelligitur in Deo, nullâ intellectâ personarum distinctione, est in Deo absolutum, & commune; ac proinde non habetur in Deo per personalitates, aut relationes. Sed nullâ intellectâ distinctione personarum, intelligitur in Deo, quod natura habeat esse in se Subsistens. Ergo Subsistentia in Deo est quid absolutum, & commune; ac proinde hoc, quod est Subsistere, non habetur propriè in Deo per relationes; sed solum per aliquid absolutum.

Impertinet et Ripalda

Itē ex lib.  
4. contra  
gentes,  
cap. 14.

300. Deinde lib. 4. contra gentes, cap. 14. hæc habet Doctor Angelicus: *In Deo sunt plures res subsistentes, si relationes consideremus; & una res subsistens, si consideretur essentia.* Ita ibi: *At non potest esse una res subsistens nisi per subsistentiam absolutam: Cum unitas subsistendi à pluralitate relationum provenire non possit. Ergo. Clarius id ipsum expressit quæst. 9. de Potentiâ, artic. 5. ad 13. ubi inquit: In divinis proprietates personales hoc solum habent, quod supposita natura divina ad invicem distinguant; non autem sunt principium subsistendi divine essentia; ipsa enim divina essentia est secundum se subsistens. Quid ergo clarius pro nobis?*

Rursus  
quia cum  
divine  
essentiæ  
competat  
existere,  
& existe-  
re sit sub-  
sistere illi  
competit  
subsisten-  
tia.

301. A ratione autem licet variis modis soleat nostra probari Conclusio; illis tamen ommissis, probatur tertio sic. Esse, seu existere est actus proprius essentiæ, Ergo subsistere erit actus proprius essentiæ. Sed divine essentiæ ut virtualiter, aut ratione, distinctæ à relationibus, competit existere, ut nemo negat. Ergo & subsistere. Antecedens, & subsumpta minor latè constant ex Quæstione de relationibus, Lectione 5. & 7. Consequentia verò probantur. Sicut ad esse, seu existentiam accidentis requiritur ut proprius modus inhærentiæ; sic ad esse, seu existentiam substantiæ requiritur ut proprius modus subsistentia. Inhærentiæ autem, & subsistere explicant duos modos existendi immediatè oppositos. Ergo ei, cui competit existere, necesse est, conveniat modus existendi. Atqui divine naturæ ratione sui, & ut distinctæ à relationibus, convenit existentia absoluta propria substantiæ. Ergo divine naturæ debet necessariò convenire ratione sui subsistentia, quæ est proprius modus existendi substantiæ.

Præterea  
cui subsis-  
tentiæ ma-  
ximam di-  
car perfe-  
ctionem,  
nequit di-  
vine esse-  
ntiæ negari

302. Probatur quarto. Subsistere dicitur maximam perfectionem; involuit enim modum in ratione essendi perfectissimum: Cum certum sit apud omnes, accidens in hoc superari à substantia. Ergo non debet, nec potest essentiæ divine denegari talis modus independenter à relationibus. Consequentia patet. Tum quia quidquid est excogitabile in ratione perfectionis, divine essentiæ debet tribui. Tum quia relationes nec dicunt, nec addunt perfectionem aliquam divine essentiæ. Tum denique quia divina essentia intra suam lineam est infinita, Ergo subsistens. Consequentia probatur. Nam ex eo natura creata sumpta pro ratione formali intrà propriam lineam non subsistit; sed ratione sui suppositi, in quo est; quia finita est, & sic dependet ab illo ut à sustentante. Sed essentia divina est infinita, ac infinite perfecta, nec ei aliquid perfectionis acquiritur

Theol.

ex multiplicatione suppositorum. Ergo intrà propriam suam lineam erit subsistens.

303. Sit secunda Conclusio. Propriè, & Scholasticè loquendo, verius est, non dari in Deo tres subsistentias relativas; sumptà subsistentiâ pro principio formali, quo aliquid subsistit. Ita S. Thomas quæst. 9. de Potentiâ, & quæst. 8. Sequuntur Angelicum Doctorem Durandum, & alii contra plures Recentiores cum ex Thomistis, tum ex nostratibus.

Dico 2.  
propriè,  
loquendo,  
verius est  
in Deo  
non dari  
tres sub-  
sistentias  
relativas.

304. Probatur primò Conclusio auctoritate Divi Thomæ distâ quæst. 9. artic. 3. ad 13. ubi hæc habet: *In rebus creatis principia individuanti duo habent, quorum unum est, quod sint principia subsistendi; natura enim communis de se non subsistit, nisi in singularibus: Aliud est, quod per principia individuanti supposita natura communis ad invicem distinguantur. In divinis autem proprietates personales hoc solum habent, quod supposita divina natura ad invicem distinguant; non autem sunt principium subsistendi divine nature: Ipsa enim natura divina est secundum se subsistens; sed e contra proprietates personales habent, quod subsistant ab essentiâ.* Ita ibi. Unde sic argumentor. Subsistentia in sensu, quo hic omnes eam accipimus; aliud non est, quàm principium formale subsistendi, seu quo aliquid subsistit. Sed ut docet Magister Angelicus, proprietates personales non sunt principium subsistendi divine nature, quin potius illæ subsistunt ratione divine nature. Ergo per subsistentiam absolutam, si propriè, & Scholasticè loquamur, ac Divi Thomæ vestigiis insistamus; & non dantur aliæ relative. Mirum est, quàm implicet Theologos locus ille adductus Divi Thomæ pro nostrâ Conclusione.

Ira S.  
Thomas  
q. 9. de  
Potentiâ  
art. 3. ad  
13.

305. Probatur secundò à ratione. Quia existentia relativa sive virtualiter, sive ratione distincta ab essentiâ, non datur in Deo; nec tres existentie relative realiter inter se distinctæ. Ergo à paritate rationis idem, quod prius de subsistentiâ relative. Consequentia probatur. Quia subsistentia dicitur existentiam cum modo perfectissimo, existendi; vel saltem ab ipsâ est inseparabilis existentia. Ergo solum relationes non dicunt existentiam, nec ullam perfectionem, consequenter nec subsistentiam dicent.

Iterum  
ratione pro-  
batur quia  
in Deo nõ  
datur tres  
existentie  
relative.

306. Probatur tertio efficaciter. Si Paternitas, vel quælibet divina relatio ratione sui esset subsistentia relativa, natura divina subsisteret relativè per Paternitatem, & alias relationes. Sed natura divina non accipit hunc effectum, nec dicitur relativè subsistens ratione Paternitatis, &c. Ergo Paternitas adhuc relativè non est subsistentia. Major constat.

Præterea  
quia natu-  
ra divina  
non dicitur  
relativè  
subsisten-  
s ratione Pa-  
ternitatis.

E e 3

Quia

Quia substantia est principium personale, ut natura subsistat. Minorem probat. Quia Paternitas non minus est substantia, ac est relatio, & est personalitas, sive principium reddendi aliquid incommunicabile. Sed Paternitas non tribuit naturæ divinæ, quod sit relata, nec quod sit incommunicabilis: Sunt enim falsæ istæ propositiones: *Natura divina refertur per relationem ad aliud: Natura divina red- ditur incommunicabilis ratione personalitatis Patris.* Ergo Paternitas non tribuit naturæ divinæ, quod sit subsistens relativè. Tunc sic. Atqui licet illæ duæ propositiones sint falsæ, hæc est verissima: *Natura divina subsistit, aut est subsistens.* Ergo ideo est, quia natura divina ratione sui subsistit, & nullatenus per relationes. Quæ probatio, si attentè expendatur, valde urget.

Rursus probatur ad hominè contra Thomistas.

307. Probatur quartò ad hominem, præcipuè contra Thomistas. Implicat in Deo duplex existentia; absoluta videlicet, & relativa, ex eo capite, quia implicat duplex ultima actualitas in ratione existendi, ut conceditur à pluribus ex Adversariis. Atqui duplex substantia divina, absoluta, & relativa est duplex ultima actualitas in ratione subsistendi. Ergo eadem ratione implicat duplex substantia absoluta, & relativa; aut si hæc consequentiâ negetur, duplex existentia; absoluta videlicet, & relativa erit etiam concedenda.

Tandè ex alia D. Thomæ ratione in 2. dist. 26. q. 3. ad 4.

308. Deinde hæc omnia urgentur aliâ Divi Thomæ ratione in primò distinct. 26. quæst. 1. artic. 1. ad 4. his verbis: *Ad quartum, dicendum, quod persona, ut dictum est, non distinguitur in divinis ex parte naturæ, vel ex parte ipsius esse; sed solum ex parte proprietatum.* Unde illa nomina, quæ dicuntur secundum respectum ad proprietatem, pluraliter prædicantur, sicut hypostasis, & persona: Quæ autem dicuntur per respectum ad esse, prædicantur singulariter, ut substantia, & essentia; quamvis nomen substantia apud usum Sanctorum sumatur pro hypostasi. Ita ibi: Ex quibus iterum patet, substantiam acceptam pro principio formali, ut eam hic accipimus, singulariter prædicari non minus, ac essentias; ac proinde ea non relativè; sed absolutè dici de Deo.



## LECTIO II.

## Solvuntur objectiones contra utramque Conclusionem.

309. **O**bjicitur primò contra primam Conclusionem. Si Deus pro priori ad relationes, & his non intellectis, subsisteret, esset pro eo priori Persona. Sed hoc non est dicendum; aliàs daretur quaternitas personarum; quam damnat Concilium Lateranense. Ergo Deus pro priori ad relationes non subsistit. Sequela probatur. Persona nihil est aliud, quam subsistens in naturâ intellectuâli. Ergo si Deus pro priori ad relationes subsisteret, cum hoc esset in naturâ intellectuâli, esset Persona. Respondeo negando majorem. Ad probationem distinguo antecedens: Persona nihil est aliud, quam subsistens distinctum, aut incommunicabile in naturâ intellectuâli, concedo: Seclusâ distinctione, aut incommunicabilitate, nego antecedens. Subsistere igitur nihil aliud est, quam existere modo perfectissimo excludente omnem dependentiam à quocumque alio in ratione essendi: Cum igitur hoc habeat natura divina independentè à relationibus; inde est, quod Deus pro priori ad relationes sit subsistens, & consequenter absolutè subsistat; esse autem Personam in Deo, addit principium quasi individuationis, vi cuius suppositum redditur incommunicabile alteri ejusdem naturæ supposito.

310. Instabis. Ergo saltem Deus erit semipersona pro priori ad relationes. Consequentia probatur. Quia licet ei desit incommunicabilitas, quæ ad integram rationem Personæ requiritur; habebit tamen pro priori ad relationes substantiam, sive personam in existendo, quæ est unum de requisitis ad rationem personæ. Ergo. Aliqui cum Eminentissimo Cajetano concedunt sequelam: Alii verò negant. Difficultas est de puro nomine; Sed non est concedenda loquutio Semipersonæ propter imperfectionem, quam præfert: Licet enim equus habeat rationem animalis, quæ est unum de requisitis ad rationem hominis; non ideo dicimus, equum esse semihominem; sic similiter in Deo, cum forma significata ratione Personæ principaliter solum sit proprietas relativa, quæ in Deo pro illo priori non intelligitur; sed solum substantia.

311. Objicitur secundò ex Patre Vasquez. Deitas præintellecta tribus Personis, non potest esse principium generandi ut quod ad intra. Ergo nequit intelligi ut sic subsistens. Concesso antecedenti, nego conle-

Ex notis  
scilicet no  
sequitur,  
Dei pro  
priori ad  
relationes  
esse pers  
sonam.

Nec inde  
sequitur,  
dici posse  
Deum se-  
miperson-  
nam pro  
priori ad  
relationes

Principi-  
generandi  
ut quod  
no solum  
debet esse  
subsistens